



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B. Agnes Regia Virgvncvla, Lvdovici Imp. Bavari F. Apvd S. Iacobvm
Monachii Religiosa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

B. AGNES

REGIA VIRGVNCVLA, LVDOVICI IMP.

BAVARI F. APVD S. IACOBVM

MONACHII RELIGIOSA.

C10. CCC. LII.

XI. Nouembr.

Ex monasterio par-

thenonis S. Iacobi ad S.

Claram Monachij.

Arenbek.

Hund. de monast. in

Anger.



Gnes Ludouico IV. Imperatore Boio & Margaretha augusta nata, post Christum C10. CCC. XLV. biennio ante mortem patris, alteroque post mortem eiusdem anno quadrimula in sinum Christi delata est apud religiosas Virgines D. Claræ Monachij initiatas, ipso natali B. V. ut in sacratio innocentie inter sacras Virgines adolefceret. Aegre hoc habuit provincie proceres, cupiebantque etiam abnuente principe regiam virginem ad disciplinam politicam efformare, qui mos est hodieque non paucorum, cum cernunt eos quos fortuna vel clavis naturæ ornamentis coluit, vel forma rara donavit, opibusque magnis auxit, vel maiorum imaginibus illustravit, vel ingeniis felicioribus nobilitavit, ad religionis portum ex huius pelagi tempestatibus appellere, eos ut omni ope & opera præpediant: lippos, claudos, surdos, bardos, aliæque monstra hominum, claustris monachorum includenda; quod excellit, reipublicæ (hoc nomen improba menti suæ prætexunt) reseruandum. Virgo cum aliis novem, cœnobium ingressa, cum id agi videret, ut per vim ab sacratio abstraheretur, aris se admoueri iussit, ubi complexa utroque brachio sacrum Christi tabernaculum, in quo sanctissimum ipsius in eucharistia corpus custodiebatur, Christe sancte, inquit, noli permittere ut vnquam abs te auellar. Audiuit piam supplicantis vocem Deus, & ne sibi eripi posset, illam è vita mortali eripuit, cum repente pestilentie signa quinque in virginis corpusculo apparuerunt, quæ eandem intra paucos dies extinxerunt, ut in omnem æternitatem apud sponsum in cælesti thalamo velut accensum inter astra sidus reluceret. Ciues non ante fidem rei adiunxerunt, quam mortua renunciaretur. Decessit ipsis Martinilibus, post Virginis partum C10. CCC. LII. lilium è spinis intactum Christo oblatum. Arenbekius anno C10. CCC. XXXIX. consecratam narrat, alteroque & quinquagesimo defunctam, quatuordecim an-

B. HAGNE LVDOVICI IV. IMPERATORIS B. F.



O quam te memorem Virgo? noua gemmula cœli,
Nobiliusq; inter sidera sidus Hæue.
Inclita progenies et cæsaris alma propago,
O quanto est melior sors tua sorte patris!

Immatura quidē tenerisq; es raptā sub annis,
Carpita velut seruo mollis ab ungue rosa.
Sed rapienda Deo, colere stirps regia fato,
A monstriis orci ne raperetur, erat.

ciman-



cim annos egisse inter Virgines. Idem Hundius ex Arenbekio; sed quod monstri instar est, mortuam ait. c. d. ccc. xcii. cum non esset negatum, quadrimam cœnobium ingressam, xiv. annos eam cum virginibus vixisse. Sed quo nihil frequentius, error in numeros. opinor, irrepsit. Ego ex tabulis M. SS. ipsius cœnobij autographis, scripsi septennem decessisse anno c. d. ccc. lxi. tres annos in cœnobio posuisse, quadrimam

Deo dedicatam.



ff

B. M. BAR.